



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Aegritudo. 10

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

tè dies pertinaciùs Galli agere, & ferro telorum imbre in arcem effuso, maioriq̃ue ballistâ institerunt præsidium quater: quo tandem impetu, muri labantis fragmen conuellitur. 9 Ea moles **IGNATIO** propter assistenti, & egregiè dimicanti, in leuam crus incubuit: quæ vt tibiam modicè læsit, ita globus ipse in dexteram illatus, eam verò miserrimè habitam vltimè affecit. Collabatur proinde **IGNATIVS**. Hunc vt afflictû videre ceteri; animo quisq; confestim deficiuntur: ac, prostrato vno, omnes nullâ morâ sese arcemq; hosti dedunt. 10 Loco in potestatem adducto, **IGNATIVM** Galli, præ, quàm ab hoste speres, clementer acceptum, in sua primum contubernia deferunt: tum interim cognito viri genere, impensè laborant, vt ægritudine leuetur: demum succollan-

collantibus humeris in patriam
reportant; obsequio vel in fratri-
bus memorando.

II Ibi cùm per diù in morbo cu-
baret, re ad summum vitæ disci-
men adductâ, insperato propi-
tium habuit Numen. Ipso enim
Apostolorum principum perui-
gilio, beatus ad illum Petrus as-
pectabili ore inuisit: ac veluti
medicâ manu ægritudinem de-
tersisset, fugientem iam è corpo-
re animam retinere, morbiq̃ue
crescentis pertinaciam flectere
incepit. Coluerat quippe hunc
IGNATIVS principe studio; tute-
lamq̃; adoptârat. 12 Nec diutius
factum, & ab eo dein aspectu cõ-
ualescit. Ceterùm quâ erat ele-
gantiâ Iuuenis, vbi aduertit cla-
uum infra genu, malè coaliti os-
sis vestigium, eminere; eamq̃ue
rem impediendo ocrearum de-
cori esse: nihil cunctatus iussit,